

illi: « Tolle filium tuum unigénitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstrávero tibi ».

Et venérunt ad locum, quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, et désuper ligna compósuit. Extendítque manum et arrípuit gládium, ut immoláret filium suum.

Et ecce Angelus Dómini de cælo clamávit dicens: « Abraham, Abraham ». Qui respóndit: « Adsum ». Dixítque ei: « Non exténdas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam: nunc cognóvi quod times Deum, et non pepercísti unigénito filio tuo propter me ». Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum arietem inter vepres hæréntem córnis, quem assúmens óbtulit holocaustum pro filio.

Vocávit autem Angelus Dómini Abraham secúndo de cælo dicens: « Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus: quia fecísti hanc rem et non pepercísti filio tuo unigénito propter me, benedicam tibi et multiplicábo semen tuum sicut stellas cæli et velut arénam, quæ est in líttore maris; possidébit semen tuum portas inimicórum suórum, et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obædísti voci meæ ».

Verbum Dómini.

*Psalmus responsorius Ps 15, 5 et 8. 9-10. 11 (R.: 1)*

*R. Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.*

*<sup>5</sup> Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:*

*tu es qui détines sortem meam.*

*<sup>8</sup> Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R.*

- <sup>9</sup> Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultavérunt præcórdia mea; insuper et caro mea requiéscet in spe.*
- <sup>10</sup> Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. R.*
- <sup>11</sup> Notas mihi fácies vias vitæ, plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo, delectatiónes in dextera tua usque in finem. R.*

*25. Post secundam lectionem (De sacrificio Abrahæ):*

*Orémus.*

*Deus, Pater summe fidélium, qui promissionis tuæ filios diffúsa adoptiónis grátia in toto terrárum orbe múltiplicas, et per paschále sacraméntum Abraham púerum tuum universárum, sicut iurásti, géntium éfficis patrem, da pópulis tuis digne ad grátiam tuæ vocatiónis intráre. Per Christum Dóminum nostrum.*

*R. Amen.*

### *Lectio tertia*

*Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.*

*Lectio libri Exodi*

*14, 15 — 15, 1*

*In diébus illis:*

*Dixit Dóminus ad Móysen: « Quid clamas ad me? Lóquere filiis Israel ut proficiscántur. Tu autem éleva virgam tuam, et exténde manum tuam super mare, et dívide illud, ut gradiántur filii Israel in médio mari per siccum. Ego autem indurábo cor Ægyptiórum ut persequántur vos; et glorificábor in Pharaóne et in omni exércitu eius et in curríbus et in equítibus illius.*